

viflet Jesus ait Petro: Ut autem non scandalizemus eos vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies statyem, illum sumens, da eis pro me, & te, Matth. 17. n. 26. d. Thom. 1. 2. q. 188 art. 7. in corpore: Judas in loculis portabat pecuniam, cur de illis non solvitur tributum, sed de statere miraculose invento in ore piscis? Hoc tributum exigebatur à Romanis, inquit Joseph. lib. 7. de Bello c. 26. pro Capitolio ad sustentandum, illiusque praesidium, ducum, ac militum; pecunia illa, quam asportabat Judas, erat Ecclesiastica ex Collegio Apostolico, noluit ergo Christus, ut aliquid ex illa daretur pro militibus, & pro evitando scandalo miraculose solvitur didrachma.

Act. 12. n. 11. Et Petrus ad se reversus dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudaeorum.

Num. 12. Consideransque venit ad domum Mariæ Matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes.

Num. 13. Pulsante autem eo ostium januae processit puella ad audiendum nomine Rhode.

Num. 14. Et ut cognovit vocem Petri, praegaudio non aperuit januam, sed intercurrentes, nuntiavit stare Petrum ad januam.

Versiones.

CUM EXPOSITIONE IV.

86. Vers. 1. ET Petrus ad se reversus. Atias: Factus in se ipso. Aethiopicus. Reversum est ei cor ejus. Quasi antea prorsus attonitus extra se fuisset, ait Tyrim. mente à se alienato. Nunc scio verè, ac si dicat, hucusque putavi me in ecstasi mentis vidisse quæ vidi, vel somnium esse, at nunc vera, ac reali, experimentalique noticia deprehendo non ecstasim fuisse.

87. Quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me. Hæc verba sunt gratulantis, & gratias agentis; quia deus misit Angelum suum, ut eum liberaret, sicut misit Jacob, Gen. 48. n. 16. & Judith. 13. n. 20. daniel. 1. 6. n. 22. & tribus pueris in fornace. Dan. 3. n. 49. & de omni expectatione plebis Iudaeorum, Syriac. Et ex eo, quod machinabantur adversus me Judæi. Nomine plebis intelligit omnem multitudinem Iudaeorum, ac præcipue Pontificum, Magistratum, ac Phariseorum, & quamvis nomine plebis turba vulgaris populi intelligatur; merito tamen Magistratus, & Principes Sacerdotum sub eis comprehenduntur, qui ob sua peccata dignitates suas amiserunt, cum turba vulgaris populorum numerantur.

88. Vers. 12. Consideransque Petrus periculum, in quo verlabatur, undeque evaserat, & quod iterum facille poterat incidere in manus Herodis, subduxit se, non timore passionis ductus, ait Lyran, sed quia per visitationem Angeli intellexit prolongationem suæ vitæ esse ex voluntate Dei.

89. Venit ad domum matris Joannis, qui cognominatus est Marcus. Cum Petrus se non crederet tutum in platea sic ait: Arabic. Cum rem pro certo scivisset, domum matris Joannis. Aliqui, ut Oecumen. & alii,

quos citat Sixtus Senen. 5. l. 1. & 2. existimant esse eundem Marcum Evangelistam, sed probabilius est alium esse distinctum Ita D. Basil. l. 5. contra Eunomium cap. ult. D. Hieron. de Scripturis Ecclesiasticis. d. d. roth. in Synopli. d. Isid. de obitu Sancti, & multi; nam iste Joannes Marcus fuit socius Pauli, & Barnabæ in sua peregrinatione, ut pater ex vers. ult. hujus cap. & c. 15. Marcus Evangelista non fuit socius Pauli, & Barnabæ, sed perrexit in Alexandriam: deinde in Martyrologio Roman. 27. Septembris dicitur: Bili Phœnicia S. Marci Episcopi, qui & Joannes à B. Luca nominatur.

Ubi erant multi congregantes Syriac. 1. Propterea illic fratres orantes. Petrus alta nocte exivit de carcere, & tunc illi primitivi fideles erant orantes quæ consuetudo deducta est ad sacras Religiones ad deum laudandum media nocte.

Vers. 13. Pulsante autem eo ostium januae. Syriac. Pulsavit fores atrii. d. Chrysol. Pulsavit jam vestibulum. Magnorum palatia habent ante se atrium, multaque vestibula, & cum esset alta nocte, & ostium esset clausum, illud pulsavit retrus, Processit puella. Ita habet nostra vulgata, & Syriac. & cum non dicatur ancilla, quamvis ita legat Pagnin. & exprimat eus nomen, videtur, quod fuerit persona nobilis filia, vel nepos dominae illius Palatii.

Processit ad audiendum pulsantem, vel ex curiositate, vel mota à deo, nomine Rhode, quam Glossa Interlin. interpretatur. Visio fortitudinis ab effectu, quia habuit fortitudinem ad videndum: Tamen Græcus, & Arabic. ac Expositores Lorin. Cornet. Tyrim. Menoch. à radice Græca idem, ac Rosa quæ florum princeps est, hortorum ornamentum, veris, ac omnium fructuum prænantia, optimum ad sanitatem medicamentum, jucunditas oculorum, elegantia pulchritudinis, odorum suavitas, quem hæc puella dedit fragrantissimum. De ea scribit Helecon Episcopus Cæsariens. in additionibus ad Lucium Dext. ubi sic ait: Rhode quæ Refulia dicta est in persecutione Trajani (ut idem refert Maimus) superata passa est pro fide cum aliis Martyrib.

Vers. 14. Ut cognovit vocem Petri, quem interno amore habebat in corde: Praegaudio non aperuit januam. Syriac. Reversus est cursu, ut merentes discipulos de carcere Petri jucundaret, & quia ipsa tam felicissimi nuntii voluit esse nuntiatrix.

QUÆSTIO XIV.

Quare D. Petrus dum Angelum existimat esse visionem non agnovit eum, nisi postquam discessit?

Cum Angelus multa fulgens luce liberat Petrum de carcere, ignorabat ipse Petrus rem, quæ fiebat: Existimabat se visionem videre, seu ut habet Aethiopic. Somnium videre, quia ita clausus carcere, ut nulla humana diligentia ab eo posset liberari, ut dixi in expositione juxta moralem sensum.

Respondeo ad quæstionem: Erat Petrus innocens & Sanctus inclusus in carcere, & erant ibi multi iniqui, & malefactores; & videns se innocentem à vinculis absolvi, omnemque portas sibi patefieri, cum maligni delinquentes catenati remaneret retenti in custodia, bene agnoscens hujus sæculi perversitatem, secundum quam innocentes premuntur, & depravati sublevantur, multique gaudent, se à carcere exemptum animadvertens visio, nem velut somnium reputavit. Hugo ait: Patet quod clausum reliquit Petrus carcerem, quo aperto

non esset ambiguum eum evasisse, attenda sæculi malitia somnium videbatur, quod Petro innocenti carcer esset apertus, & malignis clausus.

96. Gen. 39. Joseph innocens mittitur in carcerem, ubi vincit regis, ac malefactoribus tenebantur. Genes. 39. n. 20. relicti aliis malefactoribus Joseph multo cum honore sublimatus exiit à carcere, quod celebrans pater ejus Jacob. Genes. 49. n. 24. Dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Jacob, scilicet Dei Jacob: solum dei manus poterant efficere, ut innocenti vincula rumpentur, & in illis iniqui remaneret alitrici, & ita Chaldaicus legit: A facie Dei fortissimi Dei Jacob. A fumma dei fortitudine venit, quod puer alienigena ab omnibus destitutus à vinculis eximeretur, & alii patrocinati in eis compediti astringerentur.

97. Humiles, & oppressos elevavit, & iniquos puniatur. Chald. Secundo Petro ob suam magnam humilitatem non venerat in mentem, se dignum esse, qui à Deo mirabiliter per Angelum à carceris angustis eriperetur; videbat deinde se in carcere, ac vinculis multa manu militum teneri, indeque apprimè cognoscebat Regem Herodem ac Magnates, totumque populum contra se ab omnibus derelictum insurgere, unde quod à tantis laqueis esset expeditus visionem, & somnium existimabat.

98. Postquæ ex Dei mandato Abrahamus fecit magnum illud sacrificium ex vacca trienni, ex caprea ariet, turture, & columba, subdit, ut dicitur Genes. 15. n. 12. Cum sol occumberet sopor irruit super Abraham, & horror magnus, & tenebrosus invasit eum. Septuaginta: Ecstasis cecidit supra Abraham, Chaldaeus somnus cecidit. Eique tunc ibi declaratur, quod nepotes ejus futuri erant peregrini sub tyrannico, ac durissimo pharaone, ac Ministrorum ejus jugo, & quod ipso rege invito, ac contradicente cum suis Magnatibus exirent multa cum gloria, sed hæc manifestantur Abrahamo per somnium, & non potius in vigilia, sicut & multa alia ei sunt dicta: Exi de terra, & de cognatione tua, faciam te in gentem magnam, numeras stellas si potes sic faciam semen tuum, in te benedicentur omnes gentes, & multa alia, quæ ei sunt denunciata in vigilia, solum illa de excusso Pharaonis jugo in somnis referuntur.

Verum sensum literalem rectè scio, moralissimè tamen dico; quod adeo rarum, & insolitum est, quod abjecti & humiles majoribus contradicentibus subleventur, & erigantur, ut per somnium, ac visionem exprimat, atque innoscat. Huc advoco Procopium ibi, qui ait: Verè celestium dogmatum speculatio, & comprehensio non nihil obscuritatis; primo etiam doctis & magnis parit. tales dispositiones Divinæ multum difficultatis nostro intellectu ingerunt.

99. Tertio Petrus Angelum multa claritate fulgentem non videt agnovit tamen cum discessit, tunc enim ait: Nunc scio verè, quia misit Deus Angelum suum, & liberavit me, quod potuit provenire tum ex parte Angeli, tum ex parte petri; ex parte Angeli, quia in tanta claritate ejus occultabatur presentia ut inde esset ejus reverentia. Dicitur de Deo, Psalm. 17. n. 28. Posuit tenebras latibulum suum, latet enim ipse, ne oculis hominum se ingerat, quod etiam cecinit Salomon 3. reg. 8. n. 21. Dominus dixit, ut habitaret in nebula. & cur ita se occultat, & abscondit Divina Majestas; Explicat Schola Chaldaica ad citatum locum psalmi. Collocavit majestatem suam in caligine, quæ sunt proxima, & in usu quotidiano ipsa consuetudine vilescunt, quæ procul absunt, magis eminent; latet Deus sub cæca nebula, ut quo minus patet, magis colatur; tamquam ad claritatem, ac auctoritatem

nominis tenebras interponens, Collocavit majestatem suam in caligine.

Tum etiam ex parte petri, qui presentem Angelum putabat Phantasma, vel visionem, postquam vero discessit, Angelum Dei agnovit, semper enim magis recognoscimus & veneramus absentia, quàm presentia. Ad suum dilectum clamat sapiens Sponsa, Cant. 8. n. 14. Surge dilecte mi, quo consilio hoc facis sapiens Sponsa, vis carere amplexu ac presentia tui dilectissimi Sponsi, cuius desiderio tam sedulè eum quævisisti per vicos & plateas, unde factum est quod incideres in custodes civitatis, qui te percutientes, & vulcerantes abstulerant pallium tuum; cur modo exoras, ut fugiat, ac recedat? Et si multum deliciaretur dilecti presentia, tamen ejus decori, ac reverentiæ magis consulens, à communi hominum abire conversatione rogat. Optimè Virgo rerum sapiens agnoverat quod ex absentia multum venerationis, æstimationis, ac reverentiæ mutatur; ut ait Tacitus lib. 1. Majestatis major est longinquo reverentia. De hoc multa in meis libris verbo Absentia.

QUÆSTIO XV.

Quare bona puella cum audit, & agnoscit Petri pulsantem ad ostium non statim illud aperit sed cucurrit intus ferens ad Discipulos nuntia.

Petrus in se reversus agnoscens se ab angelo mirabiliter liberatum considerans, venit ad domum Mariæ, Matris Joannis. Valde vehementer timorem perturbat, & rectum iudicium impedit Petrus totus tremore correptus erat, ne iterum in Herodis manus incidere, cur ergo non concitato gradu, imò & currens per vias, & vicos extraordinarios non confugit ad terras, & regiones distitas, & longinquas, sed cur in eadem civitate remanet, & commoratur, ubi facile potest iterum ab Herodis ministris comprehendi, hoc tamen petrus non egit metu perturbatus, sed Dei consilio illustratus ad certum, ac forte asylum confugit, ad domum nempe mariæ, ubi de nominis umbra magnum sibi patrocinium, ac tutamen adversus crudelem inimicum rabiem comparabat, ad hoc tendit Lyranus dicens: Considerans, quo divertere posset, ne a custodibus inveniretur, venit ad domum Mariæ, tamquam ad certum tutamen.

Quæstio tamen est, quod puella cum cognovisset vocem Petri pulsantis, non statim illi aperuit, sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante januam. Quid agis bona puella, cur cito non curris ad restandum ostium clausum Petro, nonne vides quod quælibet demora valde periculosa est Petro posito in platea, ubi facile à quæstitoribus iterum comprehendendi poterat.

Ratio literalis est quia ipsa præ gaudio, ut dixi in expositione voluit discipulos, qui intus erant valde tristes pro incarceratione, & orantes gaudio lætificare eum ejus libertate, & etiam quod eorum orationes fuerint exaudite à Deo, atque etiam ut omnes magna cum læticia excitarentur, & concurrerent ad excipiendum Petrum, & hoc forte provenit ex mulierum genio, quod valde proclive est ad deferenda, publicandaque nuntia.

Tertio theophylactus ait: Non aperuit illi januam, sed intro currens nuntiavit stare Petrum ante januam, ut oblatum nuntium premium ferat. Relicto Petro ante ostium, cucurrit puella ferens nuntium illius lucrandi cupiditate (Ganarlas albricias) quid facit



mulier, defers nuntium de Petro, & eum relinquit in publica platea, ubi facile ab inquiringibus inveniri poterat, & iterum in carcerem recludi, & tua accelerata festinatione acquirendi lucrum præmii ipsum amittere poterat, aperi ostium, ut Petrus in loco tuto maneat, tuncque petri adventu præfens nuntiabis, sed vehemens lucrandi affectus omnem discursus rationem impedit

107. Ait Aggæus Propheta 1. n. 6 & 9. Et qui mercedem congregavit, misit eas in sacculum pertusum: respexit ad amplius, & ecce factum est minus. Et quomodo fieri potuit ut vehemens acquirendi affectus tam incaute operetur, mitens in sacculum perforatum; Quia sua multa diligentia ac accelerata industria coacervandi mercedem eas perdidit: Respexit ad amplius, & ecce factum est minus, rem versans Clemens Alexandr. lib. 3. Stromat. ait: Possesso enim qua cum iniquitate acceleratur, minor redditur; sunt enim qui seminantes, multiplicantes, & colligentes minus habent, de quo scriptum est: qui colligit mercedem, colligit in sacculum perforatum. Ipsa incauta, ac accelerata cupiditas accumulandi, ac amplius multa possidendi, sua indebita diligentia, ac sedulitate totum perdit, ac dispergit: Possessio, qua cum iniquitate acceleratur, minor redditur: sunt enim qui dispergentes multiplicantes, & colligentes minus habent.

106. Quarto idem Theophylactus in favorem Puellæ aliter respondet, & ait: Vide etiam puella reverentiam, ac pietatem, præ gaudio non aperuit, ac rectè id ab illa factum est, ne illi (scilicet discipuli) statim Petro viso attoniti fidem non haberent. Valde prudenter se habuit; nam cum omnes scirent Petrum esse catenis reclusum in carcere, vigilantium militum custodia circumdatum, & sub multis clavis portis reconditum; impossibile iudicabat posse inde exire, si subito, & repente ipsum viderent, stupefacti, & attoniti non crederent esse Petrum, sed phantasma, vel aliquam illius figuram; inde sapiens femina ut eorum credulitatem firmaret, omnemque ambigendi ansam amputaret sensum eorum animos præparat, prænuntia facta de Petro pulsante, ut cum ipse eorum oculis obiceretur, multa cum credulitate, ac reverentia exciperetur: Ne illi statim Petro viso attoniti fidem non haberent.

107. Ad adorandum Christum natum in præsepio vocantur pastores per Angelum multa luce fulgentem: Angelus Domini assistit iuxta illos & claritas Dei circumfulsit eos. Luc. 2. n. 9. Magi autem vocantur per stellam; Vidimus stellam ejus in Oriente, Matth. 2. n. 2. Cur non vocantur etiam per Angelum multa radiante luce, ut eorum regali dignitati valde conveniens erat pastores cum essent fideles, & haberent lumen fidei, inde fuerunt capaces sustinere claritatem Angelicam; at Magi cum essent demersi in tenebrosa infidelitatis caligine, tantum splendorem cælestis Paranymphei non poterat supportare & ideo ait Chrysof. Temiter micans stella eos affuecit ad lucem.

108. In augustissimo, ac fulgentissimo Resurrectionis matutino, mulieribus, quæ venerant ad sepulchrum, angelus in veste candida, ac fulgente ait: Scio quod Jesum, qui crucifixus est, queritis; non est hic surrexit enim. Matth. 28. n. 6. Illæ præ gaudio accelerato gressu currunt, ut nuntiaret apostolis, ecce in itinere occurrit illis Jesus, dicens Ave te Ibid n. 9. Jesus fit illis obviam quando veniunt de monumento, & cur non potius quando ad illud pergebant, & suum iter instituerant, si Jesus resuscitatus eis multa cū gloria subito se præsentat

109. Syriac. Lyranus. Arabic. D. Chry. Arias. 110. Ethiop. Non re- quæ mudi miraculū ubi sufficit homo. 111. Glossa. 112. Angeli deputantur ad nostram custodiend. Psal. 90. Math. 11.

ret, tamquam mentium alienatæ obstupescerent, dissonantur ergo, ac præparentur loquela Angeli, ut cum illis se exhiberit Jesus, illa festitiam exhibeant multa cum reverentia, veneratione, ac gaudio.

Act. 12. n. 15. At illi dixerunt ad eam, insanis: Illa autem affirmabat sic se res habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus est.

Num. 16. Petrus autem perseverabat pulsans, cum autem aperuissent viderunt eum & obstupuerunt.

Num. 17. Annuens autem eis manu, ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nuntiate Iacobo, & fratribus hæc, & egressus abiit in alium locum.

Versiones.

CVM EXPOSITIONE V.

Vers. 15. Dixerunt, insanis, Syriac. Terrore turbata es. quod dixerunt, ait Lyranus, propter fortitudinem Carceris & propter multam custodiam, dicam etiam, cum illud esset alta nocte timor, ac tremor facit, ut res aliter appareat, ac est: Illa autem affirmabat sic se res habere. Arabic. Illa vero insitit asseverans sermonem suum sic se habere Chrysof. Confirmabat. Una puella contra tot, & tantos viros congregatos pro suo sermone fortiter pugnabat, veritas dabat animos, & robur. Angelus ejus est. Arias: Fortasse Angelus ejus, scilicet, de quo quæst. seq.

Vers. 16. Petrus perseverabat pulsans. Ethiop. Perseverabat altera vice, & pulsavit paululum, instantius, & crebrius, tum quia erat in platea expositus periculo iterum deprehendi, & etiam vehementi desiderio revivendi fratres. Petrus mirabiliter liberatus est per Angelum, quod per hominem fieri non poterat; postea vero ea, quæ erant humanæ industriæ pro sua salute, & ab homine præstari poterant, ipse confecit.

Vers. 17. Annuens autem eis manu, ut tacerent. Syriac. Indicabat sublata manu, ut tacerent. Nam viso Petro vehemens extitit ratio gaudii, ne ergo incomposito vocom strepitu narratio rei gestæ impediatur, silentium indicat, vel, ut ait glossa: Tacere jubet ne clamore gaudentium adventus ejus in Civitate cognoscatur, et tunc refert quomodo deus eum mirabiliter eduxit, ac liberavit de carcere per ministerium Angeli.

QUÆSTIO XVI.

Quare Discipuli qui erant intus in domo dicunt pulsantem ad ostium, non esse Petrum, sed Angelum ejus.

EX hoc patet communis, & vera, ac certa omnium fidelium doctrina quod quilibet homo per ineffabilem Dei providentiam habet unū Angelum ad sui custodiam deputatum. Sic dicitur Psal. 90. n. 11. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. Christus D. Matth. 18. n. 10. Videte ne contemnat unum ex pusillis istis; dico enim vobis; quia Angeli eorum

eorum semper vident faciem Patris mei, & sequuntur communiter omnes Sancti Patres.

113. Resuratur heretic. Calvin. Unde Hæreticorum deliramenta non sunt audienda Calvinus ait, quod Petro datus est Angelus ad custodiam quandiu exitur in carcere, & unde colligit ipse, quod nec antea, nec postea, sed tantum quandiu fuit in carcere? cum Petrus semper in magnis periculis versaretur; nec similiter audiendus est Beza, qui ex sua mente fingit, standum est doctrinæ, quam Sacra Scriptura tradit citatis locis, & aliis cum expresso consensu Patrum, cui est standum, & credendum.

114. D. Chry. folt. Angelus ad consolationem. Ad questionem respondet primo D. Chrysof. homil. 26. ubi sic ait: Porro illi dicebant: Angelus ejus est, hoc verum est, quod unusquisque Angelum habet, & unde venit illi in mentem, tunc Angelum esse; a tempore illud coniecurabant, existimantes, quod esset Angelus Petri, nomine Petri, ut eos consolaretur de ejus absentia, sicut venerunt in die Ascensionis ad Apostolos, Act. 1.

115. Secundo à tempore illud coniecurabant, quod Angelus Petri causam ejus agens venerat ad eos, ut vehementius exhortaretur, ut pro ejus libertate exorarent. Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem. Psal. 103. num. 4. Ignem dicit, qui valde velocissimus est semper sursum tendit, & omnia impediamenta adjacentia devorat, ac destruit. D. Bernard. serm. 4. de verbis Isaia, ait. Vide stannam quasi volentem, & stantem simul. Angeli stant nobiscum, & simul exorantes pro nobis coram Deo, & omnia nobis adversantia devastantes.

116. Gen. 32. Ut tamquam milites armati pro nobis pugnent Genes. 32. num. 2. Iacob abiit itinere, quo cæperat, fueruntque ei obviam Angeli Dei, quos cum vidisset ait: Castra Dei sunt hæc. Cum Jacob vidisset magnam multitudinem Angelorum, unde venit illi in mentem, ut eos Castra Dei diceret, quod denotat manum militum armatam. Ibat Jacob valde timidus de fratre suo Esau, adfuit ei Angeli tamquam milites armati pro ejus defensione, ac tutamine D. Chrysof. serm. 11. de Ascens. postquam describit quod Demones degunt per aërem pugnantes contra nos, subdit: Ita Deus Demonibus in aëre isto barbavis, atque immanibus semper bella incitantibus, pacisque inimicis, Angelorum Castra opponit, ut dum vel apparent solum ipsos reprimant, nobisque perpetuam pacem concilient.

117. D. Aug. Angeli suorum clientium personam agunt. Tiet. Tertio D. August. l. de Cura pro Mortuis, & D. Gregor. lib. 2. Decalogi cap. 7. Sæpe Angeli suorum Clientium personam, ac similitudinem sumunt, ut eorum res, & causas agant, pro quo in magno numero exempla adduci possunt, rthierus l. 1. de Spiritus Apparitione cap. 12. quanta autem sollicitudine, ac diligentia Sancti Angeli salutem suorum Clientium affectant, & procurant, Audi Davidem. Psal. 4. n. 5. & 6. qui ait: Deus meus, qui mandas salutes Iacob. In te inimicos nostros ventilabimus cornu. Nota, quod non ait mandas salutem, sed salutes in plurali; quia sub illo nomine intelligit omnia bona, & quomodo mandat Deus hæc omnia populo suo: Explicat D. Ambros. l. 1. Salus in protectione Angelorum, qui ad ministerium hominum deputantur, & tanto affectu nostras causas agunt, ut per salutes intelligat ipsos Angelos. Ita exponit Corderius in annotationibus ad eundem Psalmum, & ait: Salutes uniuscujusque Angelum ruclarem intelligit, qui salutes in plurali dicantur. Quia bene bonum simul cum illo immittit Deus, quod quidem ad salutem animæ, & corporis necessarium sit. Unde quidquid boni expetere potest homo, vel ad

118. Math. 22. Zacar. 3. Angelus omnia media ponit pro salute suorum. 119. Reverentia Prælato. 120. D. Chry. folt. Vana gloria vitanda. 121. Tob 12. Non omnibus omnia communicanda. Math. 18. Marc. 16. 122.

corpus, vel ad animam totum id cum Angelo, & per Angelum largitur Deus, qui Angelis suis mandavit de te in omnibus viis tuis, inde Divinam protectionem per Angelum administrat, multa fortitudine inimicos nostros ventilabimus cornu.

Intravit Rex, ut videret convivantes, & cum vidisset hominem vestitum veste non composita ait illi: Amice quomodo huc intraisti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit: Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22. Aliter se res habet, quod Zacar. 3. n. 3. nam Jesus, nempe Joseph filius, erat indutus vestibus sordidissimis, & stabat ante faciem Angeli, qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: auferite vestimenta sordida ab eo, & dixit ad eum: Ecce abstuli a te iniquitates tuas, & indui te mutatoris. Valde dissimilis se causa habet; nam Rex non concessit locum, ut homo mutaret vestes, & nuptiales quæreret, at Angelus non solum dat locum, ut vestes mutentur, sed hoc præcipit inferioribus ministris, ut novis, & splendidis eum exornent. Unde tanta differentia? Rex ut supremus Dominus, & Judex jus dicebat, & causam secundum merita judicabat; at Angelus erat tutor, ac defensor populi, indeque fordidos non spernit, nec deserit, sed omnia media interponit, ut eos ad salutem reducat; & totis viribus negociatur, ut abjectis vestibus sordidissimis, & nitentibus componantur, & hoc non solum ipse totis viribus præstat, sed etiam alios Angelos convocat in Auxilium: Theodoret. ibi ait: Angelus vero Populi tutor aliis adstantibus Angelis præcipit, ut ex illis vestibus eum exuerent, ac docens, ut quiddam per alias vestes designatur, adjecit: Abstuli a te iniquitates tuas.

QUÆSTIO XVII.

Quare D. Petrus magna que Deus erga eum fecit, mandat denuntiare Iacobo, & aliis fratribus?

TRia hæc facit Petrus, Primò suam mirabilem libertatem insigniter mandat nuntiare Jacobo Apostolo minoris; nam Major jam erat occisus ab Herode, ut vidimus cap. 10. num. 1. Ordinatus. Petrus, ut Jacobo exponatur sua miraculosa libertas, erat enim Episcopus Jerosolymorum, ac ut loci Prælati voluit eum eo habere hæc reverentiam, sic & raulus illum forte hæc de causa invisit, de quo facit mentionem ad Galat. 1. n. 19.

Secundo ait Petrus: Dicite & fratribus D. Chrysof. homil. 27. ait: Non dixit ut passim omnibus aliis divulgarent, vanam gloriam devotans. Voluit Petrus sua magna inter suos, & Christi discipulos recondere, & nullam umbram vanitatis exhibere, ut dixi cap. 5. quæst. 3. num. 21. 22. 23. 24. & cap. 10. quæst. 2. num. 173. & 174.

At objicies, Meus Raphael Archangelus dixit Tobia. 12. num. 7. Opera Dei revelare, & consieri honorificum est, quod verum habetur, si audientes sunt capaces, aliter verò occultanda, & in hoc fecutus est Petrus Christi exemplum, qui resurrectionem non mandavit omnibus nuntiare, sed discipulis suis, & Petro. Matth. 28. num. 7. & 10. Marc. 16. num. 7.

Tertio Mandat Petrus suam miraculosam libertatem dicere Jacobo, & fratribus ut qui fuerant orantes pro eo, dum in carcere tenebatur, simul